



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Oratio Manassæ Regis Ivda, cùm captus teneretur in Babylone.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Exitium siquidem damnosa superbia primum
 Intulit: hinc nostri fons, & origo mali.
 Quòd si operam precio quisquam tibi forte locarit,
 Soluendi dempta sit tibi cura mora.
 Reddere mercedem nulli tardaueris vnquam,
 Inque tua caueas hæreat illa manu.
 Tu quæcunque pati dicta, aut illata recuses,
 Abs te aliis eadem non toleranda putes.
 Sed neque sperne tuæ esurientes addere mensæ,
 Nudaque egenorum corpora veste tege.
 Mens tua si dubiis nutabit pendula rebus,
 Quod tibi vir sapiens consulat, illud age.
 Vina superpones iusti panesque sepulchro,
 Vnde iuues inopes, esurieque leues.
 Hic ego te nolim cætus adhibere profanos,
 Cumque illis positos participare cibos.
 Precipue tamen hoc moneo, semperque monebo,
 Perpetuo vt Dominum laudis honore colas.
 Vtque tuos gressusque regat, vitamque preceris.
 Semper in hoc mentis stent quoque sensa tuæ.
 Abstine nate metu, nec sit tibi nostra dolori
 Pauperies, animum neu grauet illa tuum.
 Parua quidem nobis res contigit: at satis amplæ
 Accedent, Dominum si timeamus, opes,
 Curemusque bonis vitam traducere factis,
 Et vacuas omni crimine habere, manus.

ORATIO MANASSÆ REGIS IVDÆ,
 cùm captus teneretur in Babylone.

A Bræ, Isaci que potens Patrū Deus atque Iacobi
 Nostrorum, & iustæ prolis ab hisce satæ;
 Qui

Qui valida cælum dextra, terramque creasti,
Et quicquid moles tanta decoris habet.

Qui Pelagi certis vinxisti legibus vndas,
Ne possint fines transiisse suos.

Qui claudis vastam firmans signaculo abyssum
Nominis ad laudem, roboris atque tui.

Virtutem cuius nil non trepidatque, pauetque
Cuius & haud facile est iustinuisse decus.

Cuius nemo potest iras tolerare minaces,
Quas geris in solitos impia facta sequi.

Immensa est prorsus, nec perscrutabilis vlli
Sermonis pietas, pollicitique tui.

Tu Deus excedens alta omnia, tuque benignus,
Nec mala supplicio plectere nostra celer.

Largitor veniæ longè mitissimus amplæ,
Teque liquet nostris sæpe dolere malis.

Queque tua est clemēs semper miseratio in omnes,
Est promissa abs te gratia multa reis.

Et quia multiplici polles pietate, dedisti
Sontibus vt tristis sit metanœa salus.

Haud te illam priscis illis statuisse videmus,
Egēre ætatem qui sine labe suam:

Sed mihi, qui numerum vici male sanus arenæ
Peccando, ex imis quam rapit vnda fretis.

Heu cumulus scelerū increuit, pondusque meorū,
Illaque sunt adeo multiplicata mihi,

Vt iam non merear cæli conuexa tueri,

Meque oculos pudeat tollere ad astra meos.

Ferrea captiuum hoc curuarunt vincula corpus,

Nec queo præ grandi fasce leuare caput.

Copia vix halitus, respirandi que relicta est,

Strictaque clauduntur guttura penè mihi.

Quòd tua nimirum commorim numina ad iras,
 Et fuerim vultus pessimus ante tuos.
 Nam mihi nulla fuit placitorum cura tuorum,
 Contempsi legis iussa verenda tuæ.
 Plurima constitui studio execranda nefando,
 Nec timui noxæ multiplicare vices.
 Ergo tibi cordis genua incuruamus, & aures
 Pulsamus miseri supplice voce tuas.
 Peccaui Domine, & stultus mala multa peregi,
 Agnosco culpam, confiteor que meam.
 Solicitis ego te precibus posco que, rogo que,
 Indulge sceleri, da veniam que meo.
 Ne cum peccatis peream simul, ac mala in æuum
 Iratus serues, exitium que mihi.
 Néue ego ab offenso tandem te iudice ad ima
 Tartara sub terras precipitatus agar.
 Nam Deus illorum es, quos luctu culpa remordet,
 Me que tuæ omnigenæ spes bonitatis habet.
 Sim licet indignus quem serues, attamen ingens
 Restituet pietas me tua, opem que feret.
 Sic tibi donec ero, laudes & carmina dicam,
 Et tua gratanti munera voce feram.
 Scilicet officio hoc celebrat te cælica virtus
 Omnis, & ista tibi est gloria perpes. Amen.

CANTICVM MARIE VIRGINIS.

*Magnificat anima mea Dominum.**Luc. 1.*

Magnifica æterno mea mens encomia Regi
 Et grati officium pectoris omne refert.
 Spiritus exultat iucundis motibus illi,
 Qui mihi saluificam præstat amanter opem.

Me